VETERUM OPINIONES DE INSANIA

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE VIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

NATHAN LIPPMANN
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

I. LIPPERT, MED. ET CHIR. DR.
D. ROSENKRANZ, MED. ET CHIR. CAND.
G. JULIUS, THEOL. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

HUMANISSIMO

E. HORN,

MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTORI, PROFESSORI ORDINARIO PUBLICO IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, SUPREMI MEDICORUM COLLEGII SODALI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE LAQUEO ORNATI ET CRUCIS FERREAE LEMNISCO ALBO AFFIXAE EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI SUMMOPERE VENERANDO,

FELICISSIMO IN INSANIA CURANDA MEDICO,

NEC NON

VIRIS

SPECTABILISSIMIS

H. GOLDSCHMIDT

ET

D. GOLDSCHMIDT,

AVUNCULIS SUIS DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

VENERATIONE ET PIETATE DUCTUS

DEDICAT ET OFFERT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Magnae sunt superandae difficultates ei, qui, bona ornatus doctrina de sana morbosaque corporis humani natura, vitam animi quoque ejusque varias conditiones perscrutari conaturus est. Quamquam enim ab Anaxagora inde, excepta disciplina atomistica, cui et Democriti et Epicuraei addicti erant, omnes consentiunt philosophi animi principium esse unum semperque idem, tamen diligenti observatori tanta occurrit affectuum varietas, tanta morum diversitas, tot indolis naturaeque discrimina, voluntates tam contrariae, cupiditas tam opposita, ut non pingui Minerva agamus, quo hanc singularum rerum multitudinem, nexum ac societatem comprehendamus. Quae tamen scientia non tantum illi medico necessaria est, qui animo laborantes curat, sed omni cuique, qui in arte sua exercenda secundos eventus assecuturum se velit. Quaenam vero sunt auxilia, quaenam viae, quibus ad hanc sibi doctrinam comparandam pervenire valeat? Multa quidem inde a philosophiae primordiis de natura animi et summis vitae ejus momentis disputata sunt. Nec tamen me-

dicorum quisquam nos vituperabit contendentes, medicum practicum ex iis nihil fere emolumenti capturum esse. Quum enim studerent, ut conscientiam his de rebus summam sibi illustrarent et quum de normali potius animae conditione cogitarent, veram singularum rerum existentiam atque earum investigationem negligere solebant. Experientia igitur, dicet quidam, experientia hac quoque in re unica tua sit dux, unica magistra; illam sequere, ex ejus divitiis quotidie aliquid tibi depromas; — at hîc quoque experientiae via aspera est ac facile devia, eo facilius, quo difficilius in provincia rei psychicae notiones firmae accuratis formulis descriptae, comparantur. Quidque demum «sensus ille practicus» multum decanthatus juvat, quem tantummodo sexcenties deceptus tibi vindicas, qui crebros errores nequaquam eximit et quo tandem pauci fruuntur?

Optime ideo nostris temporibus intellectum est, peculiarem esse conformandam doctrinam, cui nomen Psychologiae empiricae apprime conveniat. Nostris inquam temporibus, quoniam nunc duntaxat medici cognoverunt, suum esse hanc doctrinam tractare, neque ab ullis ceteris exspectandum esse, ut eam recte condant, apte elaborent (1). Namque ut psychologia empirica optima via construatur, duplicem censemus rationem esse expediendam: primam, qua illa violenta animi ac corporis sejunctio, quae inde ab Aristotele praesertim (2) tam perti-

---

(1) Optime hac de re agit Reil, Entwurf einer allgemeinen Therapie. Halle 1816. 8. Cap. XI. p. 376 sq.

(2) Accuratius ab Anaxagora inde, qui, νοῦν et

naciter imperata et in omnibus investigationibus observata est, eatenus tollatur, quatenus in summa notione vitae utrumque excipiatur et tanquam in omnium radiorum centro colligatur; alteram, qua statuum morbosorum ope vita animi vera cognoscatur. Prima enim sententia non tantum agnita, sed plane animo nostro inducta, eo perveniemus, ut omnes organismi, cujus pars est animus, affectiones intelligamus vitae totius modificationes, ita ut postea tantum interrogaturi simus, quae organismi pars primitus vitiata ac pessumdata sit. Efficitur quoque, ut tunc demum mirus et multiplex corporis animique nexus eorumque rationes arctissime consociatae manifestentur, et naturae divinae contextus non in fibris singulis quibusdam, sed in omnium singularum facultatum et organorum intimo connubio nobis appareat. Secunda vero via, contra innumeros reclamantes dictum sit, ea est, qua adhuc adepti sumus plurima, quae clariorem naturae cognitionem nobis suppeditaverunt. Hac etiam via anatomia et physiologia (3) tum originem suam rei medicae debent, multo minus hominum sciendi cupidini, tum id quod maxime excultae sint, ubi, quibus erroribus summa ingenia deciperentur, saepissime miremur.

Quod si vero psychologia empyrica a psycholo-

χρήματα (αἱ ὁμοιομέρειαι secundum recentiorum disquisitiones non Anaxagorae, sed Aristotelis vox est, quam hic illi subdidit) vel σπέρματα i. e. ὕλην materiem plane separavit.

(3) Cf. Celsi I. praef. p. 16: „Necessarium ergo esse incidere etc.“ ed. Bipont. 1786. 8.

gia, quae philosophiae propriae pars est, eo differre debet, quod systematice quidem, tamen ex illis, quae experientia nobis suppeditat, construatur et rationis ope in doctrinam integram vertatur, quum contra in psychologia philosophica experientiam nihil sibi vindicare liceat; facile intelligemus non tantum eam hîc esse putandam experientiam, quam acquirunt nostri viri, sed etiam quae contigat omni generi humano, ita ut historia generis humani nullo pacto negligenda sit. Quamquam enim satis notum est, nec rerum gestarum scriptores, nec rei medicae, nec philosophos de animi conditionibus, quales erant omnino variis temporibus, consilio quodam egisse; nihilominus ex frequente scriptorum et veterum et recentiorum lectione nobis persuasum habebimus, virum magna ornatum sagacitate, magno ingenii acumine hac in re quoque multa eruere posse, quae secundum opinionem vulgarem plane latebant. Duplex autem nobis apparet via, quam is ingrediatur; primum enim hominum status psychicos ipsos variis temporibus interque varias nationes diversos explicare et nobis ante oculos ducere debet; dein virorum doctorum opiniones, quae ad rem psychicam spectant, colligere et proponere.

Namque est opinio quamvis vulgaris tamen falsa, simul cum conformatione societatis humanae magnam et animi et corporis conditionis mutationem intercessisse. Assumendum enim potius videtur, hanc quoque, ut omnes res humanae, paulatim usque ad nos excultam fuisse. Quod veteres empirici de morbo dictitabant et de

medendi scientia: (4) «differre quoque pro natura locorum genera medicinae, et aliud opus esse Romae, aliud in Aegypto, aliud in Gallia,» idem jure suo de variis temporibus edicendum est. Illis videlicet primis temporibus, quibus homo sano corpore et mente, quamvis plane rudi et inculta, tamen sana gavisus est, sola humani animi aberratio ille fuisse videtur furoris status, quem quodammodo in hominibus agrestibus et maxime iracundis adhuc interdum mirari licet, cujus vero vehementiam vix nobis inducere possumus et fabulose enarratam facillime putamus, de morbo legentes, quo homines in lupos mutati dicuntur. In sylvis circumvagati sunt unumquemque obvium lacerantes (5). Nequaquam tamen fabulosa est, nam hodie quoque viros ex. gr. gentis Garrow non raro in tigres ita mutatos dici perseverant viri omni fide digni. Ab hoc igitur primo et simplicissimo statu proficiscentes omnes vias prosequamur necesse est, quibus magis magisque rationes generis humani et in societate et in vita privata et in religione et in literarum artiumque cultu mutabantur ac plane diversae fiebant. Primum quidem hic observandum est, distinguendum esse inter antiquitatem et medium aevum, quum nationes germanicae eum statum tenerent, qui quamvis simili-

---

(4) Celsi lib. 1. praef. p. 18.

(5) Optime hac de re disputavit Boettiger in Sprengel Beiträge zur Geschichte der Medizin. Heft 2. De lycanthropia (versipellibus) tanquam melancholiae specie exponit Marcellus Sideta περὶ λυκανθρώπων. Oribasius VIII, 10. Alexander Tralles I, 18 et pl. al.

mus hominum primis temporibus conditioni, tamen quum recte recentiores cognoscerent nihil in generis humani historiis repeti, a religione christiana magna ex parte variatus est. Apud veteres populos nihil majoris est momenti quod observetur, quam quod phantasia maxime ducerentur. Ex eo enim consequebatur, ut maximae libidinum vehementiae multo minus obnoxii essent, ita ut rarissime occurreret iste furor divinus, iste error fanaticus, ut Horatii verbo utar, qui medii aevi homines ducere solebat. Si exempli gratia amorem reputamus, quo juvenes graecos flagrasse referunt, non solum non tam vehemens quam apud Germanos, sed potius cum contemtione feminarum quadam conjunctus videtur, ita ut e naturae necessitate non egrederentur. Imo ille in pueros amor, qui seriore tempore summum in vitium versus est, tamen e vetustis gentis graecae institutis originem duxit, uti manifestum est apud Doros, quorum civitas nuptias quasi inter viros puerosque jubebat, quod institutum nullo vitio contaminatum fuisse e majorum sensu, recte probavit Ottfried Mueller (6). Hanc etiam libidinem potius e phantasiae nimis excitatae ludis quibusdam, imaginandique vi rectam viam transgressa provenisse censemus. Quantopere autem, ut aliud exemplum afferamus ex antiquitate, viri romani a graecis diversi erant et in moribus et in omni virium animi mentisque ambitu, quum illi nulli ingenii cultui, nulli artium literarumque dulcedini se darent. Quantopere demum per

(6) Die Dorier. B. 4. IV. 7. 8.

omnia saecula habitus animorum pro tota temporum indole varius erat, ita ut ex. gr. ad finem saeculi praecedentis primum magnetismus animalis sic dictus sese manifestaret et tanquam e latebris naturae evaderet, eo tempore, quo corporis conditio luxurie magnopere debilitata et infirma, animi vero habitus insigni quodam scepticismo, qui superstitioni vulgo proximus est et a Francogallis ad Germanos transgressus in scholam tandem criticam Kantii exiit, tanquam haesitabundus erat. Sed haec quidem hactenus. Nam nemo a nobis hoc loco petet, ut latius exponamus opinionem nostram, quam potius proponere in animo erat. — Restat vero, ut secundam quoque viam tangamus, qua ad psychologiae empirico-historicae eam partem, quae virorum doctorum sententias de re psychica continet, elaborandam nos duci perseveravimus; nam hanc quoque et maximi esse momenti et in nexu quodam cum priore, facile intelligimus, quum virorum doctorum opiniones e rerum sui temporis habitu rite producantur. Quae demum non minus experientiae pars est, quam ea argumenta, quae ipsi experti sumus. Praecipue autem huc opiniones de insania spectare videntur, quum, ut supra jam annotavimus, conditionis morbosae cognitio ad rem ipsam vere cognoscendam utique plurimum conducat. Itaque quum ad hanc dissertationem conscribendam aggressuri fuerimus, operae pretium facturi nobis visi sumus, veterum de insania opiniones quotquot nobis occurrerunt, compositori. Veterum enim judicia nullo pacto negligenda esse, et ipsa, quae afferemus, per se probant

et nos ad finem opusculi nostri in peroratione paucis demonstrabimus. Attamen non possumus, quin lectorem, ut et propter minimam nostram scribendi facultatem exercitationemque et propter rei ipsius gravitatem difficultatemque conamini nostro indulgeat, praesertim si doctior aliqua a nobis omissa forte observet, oremus rogemusque.

VETERUM OPINIONES DE INSANIA.

§. 1.

Veterum de insania sententias colligentibus illas quidem passim adlatas a scriptoribus, qui ad rem medicam et naturalem non pertinent, e. g. a tragicis, undique congerere non aptum nobis videtur; quodcirca cum auctorum medicorum principis, Hippocratis, doctrina initium faciamus. Antequam vero ad rem ipsam exponendam aggrediamur, id observetur necesse est, quod apud recentiores quoque usque ad hunc diem dissensiones provocavit, duo esse principia, ad quae omnes fere scriptorum summae sententiae reduci possunt, eorum qui animi morborum causas in animi ipsius conditionibus et vitiis, aut qui in corporis habitu labeque existere putant. Rarius autem illi occurrunt, qui sibi persuasum habent, animi morbos et e corporis et ex animi constitutione provocari posse. — De nominibus vero, quibus Graeci et Romani ad denotandam insaniam utuntur, haec fere sunt quae commemo-

rantur. Galenus narrat (7), Hippocratem insaniam, quae et acuta et in febre sit, φρενίτιν appellare atque omnino a medicis insaniam nec febricitantis nec continuam nunquam ita dici, quod Celsi verbis plane probatur; (8) attamen a multis insanire in ἀκμῇ vehementis febris παρακόψαι, παραληρῆσαι, παραφρονῆσαι nominari, μαίνεσθαι autem semper insanire sine febre. Plato de vecordibus verbum usurpat κεκινημένος (9), παρακινῶν, παρακίνησις (10), παράνοια (11), παραφροσύνη etc. Apud Hippocratem inveniuntur παρακρούσιες (deliria) (12), παραφροσύναι (13), παρακοπή (14), ἔκστασις (vehemens animi perturbatio (15) etc.

De Latinis optime explicat Cicero, ex cujus verbis in angustum deducimus haec: «nomen (16) insaniae significat mentis aegrotationem et morbum; omnes autem animi perturbationes philosophi morbos appellant — qui autem in morbo sunt, sani non sunt (itaque insani).» «Nec minus illud acute, quod animi affectionem, lumine mentis carentem, nominaverunt amentiam eandemque dementiam.»

---

(7) Comm. I. 1 in Hipp. praed. lib. I. (Tom 8., p. 693 ed. Charter.)

(8) Cels. III. 18. p. 154 ed. Bipont. 1786.

(9) Phaedrus p. 245 ed. Stephan. T. III.

(10) Ibid. p. 249.

(11) Leg. XI. p. 928.

(12) Ex. gr. Praedict. I. N. 19. p. 48 D. Coac. N. 99. p. 115 A.

(13) Praed. I 8 p. 45C. Coac. 100 p. 115 B.

(14) Coac. N. 81, p. 111. C.

(15) Coac. N. 65, p. 110 A.

(16) Tuscul. disput. III, 4. 5.

«Qui enim animus est in aliquo morbo non magis est sanus, quam id corpus, quod in morbo est.» «Eos enim sanos quoniam intelligi necesse est, quorum mens motu, quasi morbo, perturbata nullo sit. Qui contra affecti sunt, hos insanos appellari necesse est.» «Graeci autem μανίαν unde appellent, non facile dixerim. Eam tamen ipsam distinguimus nos melius, quam illi. Hanc enim insaniam, quae juncta stultitiae patet latius, a furore disjungimus. Graeci volunt illi quidem, sed parum valent verbo; quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant. Quasi vero atra bile solum mens, ac non saepe vel iracundia graviore, vel timore vel dolore moveatur.» Quod Cicero ultimis verbis prodit, graeci scriptores nequaquam probant, quos μελαγχολίαν eandem animi conditionem, ac nos, nominasse, demonstrant frequentissima exempla, quorum unum in manibus est, siquidem Aristoteles omnes viros ingeniosos melancholicos esse observat (17). — Caetera nomina in opusculo nostro passim obvenient.

§. 2.

HIPPOCRATES.

Dilucidissime exponit opinionem suam de insania Cous ita (18): Cerebro sapimus et intelligimus,

---

(17) Problem. Sect. XIII. 1. f. Cicer. l. c I, cap. 33.

(18) De sacro morbo. Sect. III, p. 92, 15 (ed. Foësii prim. Frcf. 1595 fol). Eadem verba inveniuntur in libello ad Democritum scripto de insania Sect. VIII, p. 19, qui totus liber a falsatore contextus est ex hoc loco et Epidem. V. 79. Sect. VII. p. 251 H.

cerebro voluptates et molestias temporibus dignoscimus, cerebro insanimus et deliramus. Insania enim contingit, si cerebrum nimis humidum est; tum enim necesse est agitetur, nec visus nec auditus quiescat, sed alia aliaque cernat et exaudiat, linguaque eadem, quae singulis momentis videt et audit, effetur. Cerebri enim corruptio ex pituita et bile oritur. Qui ex pituita insaniunt, quieti sunt, nec vociferantur, nec tumultuantur; qui vero ex bile, clamosi et maligni et minime quieti, semper aliquid intempestivum faciunt. Quae probentur hac quoque sententia (19): Febricitanti caput ne purgato, ut ne ad insaniam agatur. Caput siquidem medicamenta purgantia calefaciunt, saneque ad febrilem calorem medicamenti calor accedens, insaniam excitat. Nec desint verba (20). Sunt enim cerebri affectiones et alii morbi, deliria (παραφροσύναι) insaniae (μανίαι) periculique plena omnia. Accuratius signa enumerat, quibus insania portenditur.

(21) «Vomitus virulenti et aeruginosi cum capitis dolore surditate et insomnia promtam insaniam significant.» «Vox stridula (22) post vomitum anxiosum, oculi squalidi insaniam portendunt, non secus ac Hermagorae conjugi accidit, quae vehementi insania correpta, voce defecta interiit.« «Deliria (23)

---

(19) De loc. in hom. Sect. IV, p. 90, 19.
(20) De glandulis. Sect. III, p. 55, 30.
(21) Praedict. I. No. 10. p. 45 E.
(22) Ibid. N. 17. p. 48 B.
(23) Ibid. N. 19. Coac. Praenot. N. 99. p. 115. A Conf. N. 20. N. 26. Coac. Praen. 85. p. 113 B.

(παρακρούσιες) cum voce stridula et linguae convulsione tremula, mentis vehementem alienationem significant.» ; «Surditas (24) cum urinis praerubris, non subsidentibus et sublimamentis mentis motionem minantur.» «Torpores (25) post rigores, mentis alienationem indicant.» «Ubi (26) alvus humescit, aeger lassitudine, capitis dolore, siti, vigiliis torquetur, obscure loquitur, sese movere non potest, vehementem mentis emotionem exspecta.» «In febribus (27) vehementes mentis emotiones cum taciturnitate (ἐκστάσιες σιγῶσαι), voce non intercepta, perniciosae.» «Qui insania corripiuntur, iis dolor ad pedes aut pectus subiens, aut vehemens tussis oborta insaniam solvit« (28).

Multo diligentius, multoque saepius disserit noster de Phrenitide, quam, ut supra jam annotavimus, animi perturbationem in febre acuta continuam intelligit. Quum vero de hoc morbo sententiae ad nostrum finem minus pertineant, brevem tantum adjiciemus descriptionem, et caeteros locos, ubi de eo disputat, ad marginem citabimus. Recenset eam inter morbos acutos (29). «Phrenitis (30) ad hunc mo-

---

(24) Praedict. N. 32, p. 49 D.

(25) Ibid. N. 35. Confer. N. 36, 37.

(26) Ibid. N. 38. p. 50 A.

(27) Coac. Praen. N. 65. p. 110 A.

(28) Coac. Praenot. N. 282 p. 151 D. Singulas sententias non magni quidem momenti invenis quoque. De Judicat. Sect. II. p. 23, 38. De aere. loc. et aq. Sect. III. p. 66, 43.

(29) De rat. vict. in morb. acut. Sect. IV. p. 53, 28.

(30) De morb. lib. II. Sect. V. p. 17, 50.

dum se habet. Sanguis in homine plurimum confert ad sapientiam. Ubi igitur bilis commota venas et sanguinem subierit, ex solita compage et motione sanguinem dimovet et sero diluit et percalefacit. Qui percalefactus totum etiam reliquum corpus calefacit et hominis mentem alienat, ut apud se non sit propter febris vehementiam et sanguinis non consuetam dilutionem et motionem. Phrenitide vero detenti valde similes sunt melancholicis, ad animi perturbationem (παράνοια). Atra enim bile vexati mente alienantur, quidam etiam furore corripiuntur (μαίνονται). Similiter in Phrenitide. Quo vero bilis pituita est imbecillior, eo minor tum furor (μανίη), tum mentis alienatio (παραφρόνησις) contingit.» Curatam vero eam ita vult: (31) «Alvus est curanda, potu utendum est quovis alio, praeterquam vino, aut acetum et mel et aqua danda. Vinum enim, mente offensa nec in Phrenitide nec in ceteris morbis prodest. Caput multa calida lavare confert. Molliore enim reddito corpore, sudor magis oritur, alvusque et urina excernitur, ipseque se ipso moderatior evadit etc.» (32). —

(31) De Affect. Sect. V. p. 78.

(32) Locis, quos enumerabimus his, Hippocrates plurimum de signis loquitur phrenitidis: De Judicat. Sect. II. p. 23, 30. De morb. Sect. V. lib. II. p. 18, 40. Praedict. I. Sect. II. p. 44. N. 1, 3, 4. p. 45. A. N. 5. 6. 9. 11. 12. 13. 15. 16. 27. p. 49. A. N. 28. 31. 34. Coac. Praen. N. 69. p. 110. F. N. 76. p. 111. F. N. 79 p. 112. B. N. 90. p. 113. G. N. 91. p. 114. A. N. 92, 95, 96, 97, 101, p. 115. C. N. 102. N. 228. p. 141. A. N. 234. p. 142. G. N. 411. p. 172. D. Historias morborum frequentes invenis in Epid. e. g. Sect. VII. lib. III, 1, 16. VII. 62 et multa alia.

Loquitur Hippocrates interdum de ἐξισταμένοισιν μελαγχολικῶς, ita: «Si (33) his tremores succedunt, maligni» et: «In (34) febre ardente si tinnitus aurium cum visus hebetudine fiunt et ad nares accedit gravitatis sensus ἐξίστανταί μελαγχολικῶς» et: «Si (35) ἐξιστάμενοι μελαγχολικῶς tremuli fiunt cum crebra sputatione, metus est, ne phrenitici evadant.» Quid his verbis intellexerit, ex eo nobis manifestum videtur, quod μελαγχολία de affectione a bile atra producta in scriptis hippocraticis putetur, ἔκστασις vero majorem animi perturbationem significet, ita ut ἐξιστάμενοι μελαγχολικῶς ii sint, qui propter bilis atrae et copiam et malam conditionem mente admodum alienantur. Summae igitur Hippocratis sententiae eo referri possunt, quod insania de cerebri, phrenitis de sanguinis per bilem atram vel pituitam affectione oriatur.

§. 3.

PLATO.

Ille veritatis in multis nuntius, Plato divinus, sententiam supra a nobis propositam de arcta animae et corporis conjunctione in vitae notione et de necessitate ad eam in medendi arte respiciendi ita exposuit: «Si (36) modo corporis, quamvis totius curam habes, non sufficit, quo affectionibus medearis, nec

---

(33) Praedict. I. 14. p. 45. G. Coac, N. 93. p, 114. B.
(34) Ibid. N. 18. p. 48. C cf. Coac. IV. 88. p. 113 E.
(35) Coac. N. 94, p. 114 C.
(36) Charmides p. 156. ed. Stephan.

corpus sine anima medelis tractare debes; sed hoc quidem efficit, ut medici graeci a multis morbis manus abstineant, quoniam cui providendum sit, totum (τὸ πᾶν) non cognoverint: hoc autem male se habente, ne pars quidem bene se gerere potest. Nam omnia, quae corpori et prosunt et nocent, ex anima proveniunt et omnia inde effluunt, veluti e capite ad oculos. Totum illud ideo in primis atque maxime curandum est, si et caput et reliquas corporis partes bene se habere velis.» Hoc quidem modo arctissimam societatem professus rationes inter corpus et animum Plato ita statuit. Symmetria (37) corporis et animae sola homo sanus est. Si quis igitur femora immodica habet, vel alium abundantem nec convenientem corporis habitum, hic non turpis solum, sed multis quoque malis, defatigationi, lapsui atque aliis facillime obnoxius est, nec bene mentis operibus incumbit. Si magna vero ac fortis anima corpore exiguo involuta est, tum homo facillime igne interno consumitur et corpus ipsius operationes atque intentiones non sustinet. — Nullo pacto igitur corpus et anima tantopere separata sunt, ut altera alterius damna et noxas non sentiat, sed (38): Si quis digitum laedit, tota corporis cum anima communitas, quae eo tendit, ut animae sit imperium, dolorem sentit et tota eum capit, quamvis pars una laboret. Nequaquam idcirco nobis mirum sit, sed

(37) Timaeus p. 87 aq.
(38) Res publ. V., p. 462.

plane inde recte consequitur, quod Plato plurima ex parte animae vitia ex corporis vitiis nasci credat. Nam si (39) plus justo seminis circa medullam (e qua secundum Platonem semen profluit (40) gignitur, si hac re tenuitas et raritas ossium (quibus medulla inest) conficitur ac totum corpus liquescit ac madescit, animae morbus nascitur, nimia veneris cupido: atque ita nimiae omnes libidines provocantur et omnia hominis vitia e malo corporis habitu et vivendi ratione nullo ordine directa. Nemo (41) enim sponte malus, sed propter pravum quendam corporis habitum rudemque educationem malus omnis fit malus; omnibus autem adversa haec sunt et mala contingunt. Simili modo animae passiones dolorificae per corpus procreantur. — Omnes igitur animae aegrotationes hocce modo oriuntur: Si (42) vapores acrium et salsarum pituitarum humorumque amarorum ac felleorum haud exspirantur, sed intus volvuntur et animi lationi immiscentur: animae morbi producuntur. In quem autem locum trium animae partium (43) quisque eorum incidit, efficit

---

(39) Tim. p. 86 aq.

(40) Cf. Philippson Ὕλη ἀνθρωπίνη. Berolini 1831. Addit 4 et 15.

(41) Cf. Leges II., p. 935.

(42) Tim. p. 87.

(43) Plato tres animae partes constituit, quarum unam (immortalem i. e. rationem) in capite, secundam (mortalium primam i. e. sublimiores animae affectiones, ut iram, ambitionem, amorem, odium etc.) in pectore, tertiam (mortalium alteram i. e. edendi et bibendi cupidinem) in abdomine collocat. Cf. ὕλ. ἀνθρ. Addit. 3. 7. 10.

varia genera morositatis et tristitiae, varia temeritatis et timiditatis, varia oblivionis et hebetudinis. Nam immodicae libidines et labores maximi animae morbi existimandi sunt. Laetitia enim exsultans aut dolore plane devictus, dum inopportune hoc arripere, illud fugere studet, nec probe videre, nec audire valet, sed furit et minime rationis compos est. Morbus (44) animae ideo insania est (ἄνοια), insaniae duo genera: furor (μανία) et amentia (ἀμαθία); furoris (45) vero duas comprobat species, alteram quae morbis humanis, alteram quae divina remotione e consuetis legitimisque conditionibus adducitur. Ultimam alio loco (46) ita exponit: in modico jecoris statu homo divinationis impos est, ut sanus homo ad vaticinandum non idoneus sit, sed vel somniis, quod ad rationem attinet, vincto vel aegroto vel exaltatione (ἐνθουσιασμῷ) correpto contingit, ut vaticinetur; quidquid vero ille pronuntiavit imagines videns, nec ipse de hoc discernere potest, nec recordari quid dixerit; quare vatibus prophetae adsociantur. — Caeterum (47) Plato jubet furentem in urbe haud publice apparere, sed ab affinibus mulcta definita in domiciliis coerceri.

Quibus Platonis sententiis narratis restat, ut quaeramus, quod tandem philosophi summum sit principium, num credat insaniam ex corporis vitiis an animae nasci? Atque admodum dubitare licet.

---

(44) Timaeus, p. 86 et 87.
(45) Phaedr., p. 265.
(46) Tim, p. 71 sq.
(47) Leg. II, p. 934.

Nam verba illa, quae in annotatione (36) citavimus, reputantes, ubi dicit omnia corpori et utilia et inutilia ex anima promoveri et profluere, certi paene reddimur Platonem disciplinae psychicae (i. e. quae animae vitia ex animae labe deducit) plane addictum esse. Si contra quae Plato pronuntiavit in annotationibus 39—41 a nobis usurpata perpendimus; nil nobis firmius videtur, nisi quod Plato somaticam (i. e. quae animae vitia e corporis labe deducit) secutus sit. Nihilominus res ad liquidum perduci potest. Quod si enim omnia ejus verba, ut vere connectuntur, nobiscum volvimus, nobis clarum erit, illius Totius considerationem Platonis menti inhaerere, ex quo omnia deduxit, in quo omnia conjuncta credidit, ita ut noxae et incommoda alterius partis alteri communicentur. Re igitur vera opinatus est animi morbos e malo corporis habitu consequi, causam vero hujus mali corporis habitus animi vitia culpavit. Si quis, ut exemplo nostra probemus, animum veneris cupidini addicit, efficit, ut plus justo seminis comparetur; quo facto corporis labe animi aviditas semper augetur, donec speciem morbi mentis plane sibi induat. — Quam autem eximiam sententiam non in nostra potius indulgentia, quam ex auctoris mente ita proponi, optime demonstratur illis quoque, quae enumerat, mentis morborum adjumentis. Sola (48) quidem salus, Plato ait, eo continetur, ut nec corpus sine animo, nec animus sine corpore moveatur, ut aequilibrium

---

(48) Tim. p. 88 sq.

conservetur inter utrumque. Nam qui intelligentiae operibus incumbit, corpori quoque motum comparet exercitiis gymnasticis; qui corpus vero solum curat, musica utatur totaque philosophia. Quod ita in Totius ratione praestatur, in partibus quoque tractandis fiat. Id tum pro singulis Plato prosequitur, sic tamen ut angustis hujus opusculi limitibus coerciti omittamus.

§. 4.

ARISTOTELES.

Aristoteles quum morborum causas atque sedem in corporis conditione sola putaret, neque in libris de anima neque alio loco ad animi quoque morbos describendos pervenire potuit, praeterquam in libris de sanitate et morbo, qui tamen paucis verbis exceptis interierunt. Attamen in problematis, observationum thesauro locupletissimo, non aliter fieri potuit, quam ut de nostra etiam re nonnulla adjiceret experimenta. Colligamus igitur ea et quae in ceteris scriptis obiter commemorantur, ut sententia sua, quantum fieri potest, nobis certior fiat. In promtu nobis sunt de insania haec: sicca aestate nonnullos mania corripit, quorum natura atra bile abundat; haec enim tum large exstat, cum contrarii humores exsiccentur (49). Propter insaniam nonnulli immanes fiunt, cujus rei nonnulla narrat exempla saevissima (50). — Plura de melancholicis occurrunt,

(49) Problem. I, 12.

(50) Eth. Nicomach. l. VII, 6. Duae narrantur insaniae historiae in libro (supposito) de mirab. auscult. p. 1087 A. ed. Pac.

quorum haec fere colligimus: melancholici subitis insomniis tenentur (51) et in somnis crebro excitari solent, quod calore largiore urgente animus moveri aequo amplius cogitur. Melancholici ad venerem libidinosi sunt: an quod flatus redundant, semen vero flatus decessio est, ita ut purgari crebrius cupiant (52)? Cur homines, qui ingenio excellunt vel in philosophia vel in poësi vel in republica gerenda vel in ceteris artibus omnes melancholici videntur? Atra bilis naturae universae corporis sese immiscet et pro corporis temperie aut calidissima aut frigidissima reddi potest. Qui igitur humor si modum transgreditur, hominem facit attonitum aut obtorpentem aut formidolosum aut anxium; si vero admodum incalescit, animi securitatem, cantilenas parit et mentis excitationem nimiam (ἐκστάσεις) et ulcerum eruptionem aliaque hujus generis. In quibus igitur atra bilis multa et frigida, hi stolidi sunt et ignavi: in quibus multa et calida, ii perciti et ingeniosi, amasii, proni ad omnem animi ardorem et cupiditatem (εὐκίνητοι πρὸς τοὺς θυμοὺς καὶ ἐπιθυμίας). Multi quoque, quia ille humor sedi rationis vicinus est, corripiuntur morbis vesaniae et enthousiasmi. Fit saepe, ut nos angamus, sed cur ita nullam causam reddere possumus, alias contra ut securitate animi gestiamus,

---

(51) Problem. III, 25. XXX, 14.

(52) Ib. IV, 31. XXX, 1. Quid Arist. verbis „semen vero flatus decessio est" intellexerit, ex opinione quid semen sit manifestum fit. Semen opinatur e spiritu et aqua constare et spiritum antecedere semini exeunti v. gener. anim I, 17 et pl. l.

sed quamobrem minime constat, omnes vero illius materiae et facultatis aliquid habemus, sed qui permultum moribus notescunt et mere melancholici sunt, quibus autem modus quidem, hi egregii et ingeniosi, si tamen valetudini non consulant, facile in vitia melancholica labuntur. Quibus ideo atra bilis refrigeratur, ii male se habent et anxie se gerunt (53).

§. 5.

LUCRETIUS.

Lucretius, quum de animi animaeque, quae disjungit, natura disputet eamque mortalem esse contendat (54), inter argumenta posuit animi morbos. Partim enim animum corporis morbis ita corripi dicit, ut dementiat deliraque fetur (55); partim omnino desipientiam fieri, si animi et animae vis humore corporis corrupto tamquam veneno perturbetur (56). —

Quae opinio atomorum doctori animumque e corpusculis minimis levibus et rotundis consistere opinanti optime convenit.

---

(53) Ib XXX, 1.

(54) De nat. rer. lib. III, 418—882.

(55) V. 464:

Quin etiam morbis in corporis avius errat
Saepe animus; dementit enim deliraque fatur etc.

(56) V. 498.

Desipientia fit, quia vis animi atque animaï
Conturbatur et, ut docui, divisa seorsum
Disjectatur, eodem ollo distracta veneno etc.

§. 6.

CELSUS.

Celsus, vir et experientia et oratione insignis, tria praecipue insaniae genera cognovit, a quibus tamen distinguit, quod interdum in febris vehementis accessione aegri desipiant et loquantur aliena, ita tamen ut levato accessionis impetu protinus mens redeat: contra quod genus morbi nullum aliud desideratur remedium, quam quod in curanda febre praeceptum sit (57); primum autem insaniae genus aggreditur, quod et acutum et in febre est, a Graecis φρενῖτις appellatum. «Phrenitis (58) vero tum demum est, cum continua dementia esse incipit; aut cum aeger quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam vanas imagines accipit: perfecta est, ubi mens illis imaginibus addicta est. Ejus autem plura genera sunt secundum desipientiae modum: alii hilares, alii tristes: alii facilius continentur et intra verba desipiunt; alii violenter quaedam manu faciunt: alii etiam artes adhibent, summamque speciem sanitatis in captandis majorum operum occasionibus praebent, sed exitu deprehenduntur. Ex his vero qui violentius se gerunt, vincire convenit; nec credendum est, si vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, sanum jam se fingat, quamvis prudenter et miserabiliter loquatur, quoniam is dolus insanientis est.» Quum antiqui tales aegros in tenebris haberent, Ascle-

---

(57) De med. III, 18. p. 154 ed. Bipont.

(58) Ibid. p. 155 sq.

piades (59) autem in lumine habendos esse diceret: Celsus quum intelligeret, alium luce alium tenebris magis turbari, optimum duxit utrumque experiri, et habere eum, qui tenebras horreat, in luce, eum, qui lucem, in tenebris. — Si vires aegri patiuntur, sanguis mitti debet. Convenit in his, quibus vires non desunt, caput ad cutem tondere: deinde aqua fovere, in qua verbenae aliquae decoctae sint (60): ac novissime rosa caput naresque implere, offerre etiam naribus rutam, ex aceto contritam et movere sternutamenta. Si vero imbecillitas est, caput rosa tantum, adjecto Serpyllo, similive aliquo, madefaciendum est. Cum se febris remiserit, frictione utendum est. — Adversus omnium autem sic insanientium animos gerere se pro cujusque natura necessarium est. Quorundum enim vani metus levandi sunt: sicut in homine praedivite famem timente incidit, cui subinde falsae hereditates nuntiabantur. Quorundam etiam intempestivus risus objurgatione et minis prohibendus est. Quorundam discutiendae tristes cogitationes: ad quod symphoniae et cymbala strepitusque proficiunt. Saepius tamen assentiendum quam repugnandum est: paulatimque et non evidenter ab his, quae stulte dicuntur, ad meliora mens ejus abducenda est etc. Omnibus vero sic affectis somnus

(59) Bithynus, primus disciplinae methodicae auctor, cujus fragmenta collegit Gumpert. Jen. 1794. 8.

(60) Notum est non plane certum esse multis locis, cujus arboris surculos hac voce veteres intelligant, nostro autem loco Laurum esse putandum, demonstrant Plinii verba XX, 13, quae leguntur apud nos §. 7., B. 4.

et difficilis et praecipue necessarius est: sub hoc enim plerique sanescunt. Prodest ad id atque ad mentem ipsam componendam crocinum unguentum cum Irino in caput datum. Confert etiam aliquid ad somnum silanus cadens, vel gestatio post cibum et noctu maximeque lecti suspensi motus. Neque alienum est, si neque sanguis ante missus est, neque mens constat neque somnus accedit, occipitio inciso, cucurbitulam admovere. Moderatio autem in cibo quoque adhibenda est, nam neque aeger implendus, ne insaniat, neque jejunio utique vexandus est, ne imbecillitate in cardiacum incidat. Alterum genus (61) insaniae est diuturnum, quia fere sine fibre incipit, leves deinde febriculas excitat et consistit in tristitia, quam videtur bilis atra contrahere. In hac utilis detractio sanguinis est. Si quid hanc prohibet, prima est abstinentia: secunda per album veratrum vomitumque purgatio (62): post utramlibet adhibenda bis die frictio est. Si magis valet, frequens etiam exercitatio; in jejuno vomitus; cibus sine vino dandus ex media materia est. Praeter haec servanda alvus est quam tenerrima, removendi terrores et potius bona spes afferenda etc. Si febris quoque accessit, sicut aliae febres curanda est.

Tertium insaniae genus (63) est longissimum, adeo ut vitam ipsam non impediat. Hujus autem

---

(61) Ibid. p. 159 sq.

(62) Veteres docebant, Veratro (Helleboro) albo vomitum, nigro dejectionem provocari, v. Aretaei cur. diut II, 13 et Cels. loc. laud. infra.

(63) Ibid. p. 160 sq.

ipsius species duae sunt. Nam quidam imaginibus, non mente falluntur; quidam animo desipiunt. Si imagines fallunt, ante omnia videndum est, tristes an hilares sint. In tristitia nigrum veratrum dejectionis causa, in hilaritate album ad vomitum excitandum dari debet et repeti, si parum profecerit. Si vero consilium insanientem fallit, tormentis quibusdam optime curatur, fame, vinculis, plagis coërcendus, cogendus et attendere et ediscere aliquid et meminisse. Subito etiam terreri et expavescere in hoc morbo prodest et fere quidquid animum vehementer perturbat. Potest enim quaedam fieri mutatio, cum ab eo statu, in quo fuerat, mens abducta est. Si nimia tristitia est, prodest lenis sed multa bis die frictio, item super caput aqua frigida infusa, demissumque corpus in aquam et oleum.

Illa (64) communia sunt: insanientes vehementer exerceri deberi, multa frictione uti; neque pinguem carnem neque vinum assumere; non oportere esse vel solos vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnant aut negligant; mutare debere regiones, et si mens redit, annua peregrinatione esse jactandos.

Accurata Celsus signa quoque describit, quae insaniam proximam annuntiant (65). Protinus insania timenda est, ubi expeditior alicujus quam sani fuit sermo est, subitaque loquacitas orta est, et haec ipsa solito audacior: aut ubi raro quis et vehemen-

---

(64) Ibid. p. 161 sq.
(65) II, 7. pg. 72 sq.

ter spirat, venasque concitatas habet, praecordiis duris et tumentibus. Oculorum quoque frequens motus, et in capitis dolore offusae oculis tenebrae; vel nullo dolore substante, somnus ereptus, continuataque nocte et die vigilia; vel prostratum contra consuetudinem corpus in ventrem, sic ut ipsius alvi dolor id non coëgerit. — Si quid etiam abscessit et antequam suppuraret, manente adhuc corpore insolita febre, subsedit, periculum affert primum furoris, deinde interitus. Auris quoque dolor acutus, cum febre continua vehementique, saepe mentem turbat; — suffusae quoque sanguine mulierum mammae furorem venturum esse testantur.

Quemadmodum a Celso, cujus finis in opere suo concinnando observationes practicas atque experientiae praecepta colligendi erat, quare in praefatione diversis tunc temporis systematis dijudicatis, non denuo ad singula revertitur, sine ulla dubitatione exspectandum erat: in maniae quoque doctrina nullam invenimus summam sententiam propositam, ex qua specierum signa derivarentur, sed externam modo insaniae faciem adumbratam, additis remediis ab ipsius temporis cognitione praescriptis.

§. 7.

PLINIUS.

Notum est, Plinium Secundum in amplissimo opere suo rem medicam quoque attingere. Nam totam Plinii historiam naturalem diligentius inquirentes non inepte in quatuor partes dividi posse credimus: primam de mundi ordine et geographia

usque ad lib. VI, secundam de rebus naturalibus usque ad lib. XIX, tertiam de re medica usque ad l. XXXIV, quartam de artibus ad finem usque. In illa verum parte, quae de medicina agit, eum prosequitur ordinem, ut non morbos quidem eorumque naturam describat explicetque, sed remedia e tribus naturae provinciis enumeret et contra quos morbos jubeantur et quos provocare valeant Sic de medicinis (ut ait) disputat e plantis in lib. XX—XXVII, ex animalibus in XXVIII—XXXII, e metallis in XXXIII et XXXIV. Attamen institutum suum interdum ita omittit, ut morbos, in quos remedia adhibeantur, enumeret a capite ad pedes (quem ordinem Celsus quoque et Galenus in materia medica et partim Aretaeus ipse observant) in plurimis capitibus l. XXVI et XXX. De quarundam plantarum, quas nondum commemoraverat, indole, medicina neglecta in l. XXVII sermonem facit et in duobus de metallis libris in nonnullis tantum capitibus de remediis ex iis disserit, in reliquis vero de eorum natura omnino. Denique nonnulla passim capita historiae medicinae dedit. Ex quibus satis elucet, apud illum ut ceterorum morborum sic vesaniae etiam nullam inventum iri descriptionem, sed nos ab eo singulares tantum observationes de veterum in vesania medicamentis accepturos esse. Distinguit tamen inter insanientes, phreniticos et melancholicos. Sensus, quem his verbis tribuit, vulgaris sine dubio veterum est. Qua re sufficiat secundum hoc discrimen singula enumerare remedia.

A. Plinii remedia insaniam curantia et

ſacientia. 1) Plin. XX. cap. 6. Antiqui et insanientibus dabant crudum Allium. 2) Ib. c. 12. Chrysippus Ocimum insaniam facere ideoque hominibus fugiendum censet. 3) Ib. c. 21. Insanientibus succus Althaeae tepidus cyathis quaternis datur. 4) XXI. c. 31. Tertium solani genus (στρύχνον) insaniam facit, parvo quoque succo. Quamquam et graeci auctores in jocum vertere. Drachmae enim pondere lusum gigni dixere, species vanas imaginesque conspicuas observari demonstrantes. Duplicatum hunc modum legitimum insaniam facere. Quidquid vero adjiciatur ponderi repraesentari mortem. 5) XXII. c. 25. Granum Sesamae datum in vino dulci ad detractiones, quantum tribus digitis capitur, miscentque Ellebori albi unum et dimidium obolum, purgationem eam adhibentes maxime insaniae, melancholiae comitialibus, podagricis. 6) XXV. c. 5. Veratrum nigrum medetur paralyticis. hydropicis, insanientibus. 7) XXVI. 11. Contra insanias Vettonica (vox a Vettonibus in Hispania secundum Plinium XXV, 8. derivata) bibitur. 8) XXVIII, 7. Lac et contra insaniam, quae facta sit Hyoscyami potu.

B. Plinii remedia in phrenitidem. 1) XX, 2. Cucumeris sativi semina et phreniticis in lacte mulieris. 2) Ib. c. 6, Diocles phreniticis Allium elixum. 3) Ib. c. 9. Philistion et phreniticis radicis crudae Brassicae succum gargarizandum bibendumque demonstrat. 4) Ib. c. 13. Rutae succus et phreniticis ex aceto tritae instillatur in tempora et cerebrum. Adjecerunt aliqui et Serpyllum et Laurum illinentes capita et colla. 5) Ib. c. 7. Phreniti-

cis quoque illinunt vel recens Anisum cum polenta (66). 6) Ib. c. 22. Serpyllum decoctum in aceto illinitur temporibus ac fronti cum rosaceo phreniticis. 7) XXIV. c. 6. Spondylion infunditur capitibus phreniticorum. 8) XXVI c. 11. Phreniticos somnus sanat, qui contingit peucedano ex aceto capiti infuso, Anagallidum succo. 9) XXIX. c. 2. Prodest lana et phreniticis suffita. 10) XXX. c. 11. Phreniticis prodesse videtur pulmo pecudum calidus circa caput alligatus. 11) XXXII. c. 3. Folliculi castoris somnum conciliant, cum rosaceo et peucedano peruncto capite, et per se poti in aqua: ob id phreniticis utiles. 12) XXXII. c. 7. Quidam phreniticis ac lethargicis adalligari jubent caudicantem Ophitem.

C. Plinii remedia contra melancholiam. 1) XX, c. 7. Lactucae sativae dantur et melancholicis candidae copiosiores. 2) Ib. c. 21. Melancholicis quoque succus Malvae datur cyathis ternis tepidus. 3) XXI. c. 21. Praecordiis medentur duo Thymi genera ex aceto cum melle: quae potio datur et in alienatione mentis ac melancholicis. 4) XXVIII c. 8. Melancholicos autem narrant sanari, si ex corio Chamaeleonis herbae (67) succus bibatur. 5) Ib. c. 9. Lactis species, quam Schiston appellavere medici (68), datur comitialibus, melancholicis etc. 6) Ib.

---

(66) Polenta est hordeum tostum, in farinam subtilem molitum, cujus praeparandae rationem variam describit Plinius XVIII c. 7; biberunt quoque in aqua et aliis liquoribus coctum.

(67) Plinius distinguit inter Chamaeleonem (gen mas.) animal et herbam (gen. fem.) Eberwurz XX. c. 18. XXX. c. 4.

(68) Cujus praeparandae modum describit l. laud. Plin.

c. 17. Melancholicis fimum vituli in vino decoctum remedio est. 7) Ib. c. 8. Furentes suffiri uno e magnis dentibus Hyenae et circumligari ante pectus cum adipe renum aut jecinore aut pelle praecipiunt magi.

§. 8.

ARETAEUS.

Aretaeus, qui apud Aetium (69) demum et Paulum Aeginetam (70) commemoratus pro certa tamen conjectura primo vixit saeculo post Ch. n., opus nobis reliquit vulgo plus justo neglectum, et oratione maxime insigne, et observationibus practicis eximiisque morborum descriptionibus refertum, ubi quidem culpandum nonnunquam est, verborum magnificentiam et copiam veritati accuratae antepositam esse. Facillime dividitur Aretaei opus in duas summas partes, quarum altera de causis et signis morborum, altera de curatione eorum agit. Utramque tamen iterum in duas partes dirimas, alteram de causis et signis morborum acutorum, eorumque curatione, alteram de causis et signis morborum diuturnorum, tum de curatione horum. Quarum partium demum quatuor in duobus libris quaeque describitur, ut totum ex octo libris compositum sit. Quod igitur dolendum sit, multa et librorum initio et iis mediis deficere, ut quatuor prima capita libri primi et de nostra re totum caput de curatione ma-

---

e lacte caprino, mulso et ramis ficulneis.

(69) Tetr. II. serm. 1 47 et III. Serm. 3. c. 1.

(70) IV. 1.

niae. Distinguit noster inter melancholiam, maniam et phrenitidem et veterum primus est, qui melancholiam tanquam certum et distinctum insaniae genus proposuit et descripsit, et ita quidem ut melancholia tanquam initium et pars maniae sit. Definit autem haec tria genera hoc modo: Melancholia est animi angor in una cogitatione defixus sine febre (ἀθυμίη ἐςὶ μιῇ φαντασίῃ ἄνευ τε πυρετοῦ) (71). Mania est mentis perturbatio diuturna sine febre (ἔκτασις ἐστὶ τὸ σύμπαν χρόνιος ἄνευθεν πυρετοῦ) (72). Phrenitim non claris verbis definit (quod factum esse credo, quoniam caput de signis et causis phrenitidis deest, de curatione vero non ita), cum febre tamen conjunctam credit et ita distinguit, ut in phreniticis vis sensoria oblaesa sit et quae non adsunt, tanquam jam praesentia conspiciantur et aliis non conspicua ipsorum sese oculis repraesentent: at maniaci tantummodo videant quae videre oportet; sed de illis non sentiunt ut sentiendum est (73). De animi affectione in acutis pulmonum, (74) jecoris, (75) vesicae (76) affectionibus, in Satyriasi (77) et aliis morbis bene exponit. Vertigo (σκότωμα) saepe maniae melancholiae, epilepsiae initium est: et quidem si per vomitum bilis flava ejicitur, mania nascitur, si atra, me-

---

(71) Causa diut. I. 5. ed. Boerhaavii LB. 1735. fol.
(72) Ib. 6.
(73) Causa diut. I, 6.
(74) Caus. acut. II, 1.
(75) Ib. 7.
(76) Ib. 10.
(77) 76. 12 et cur. acut. II. 11.

lancholia, si pituita, epilepsia (78). — Si atra bilis ad inferiores corporis partes, ad alvum decurrit, tormina, jecorisque dolores provocat, si ad superiores, ut ad stomachum vel septum transversum flatus gignit et ructus foetidos et piscium odorem exhalantes et mentem alienat. Hanc ob rem tales aegros antiqui medici μελαγχολικοὺς nominarunt, quanquam saepe nihil atrae bilis colligitur. Sedes morbi hypochondria sunt circa septum transversum, caput saepe per consensum afficitur; viri feminis propensiores; aestatis tempus et autumnus morbum procreat et judicat. Multis signa describit morbi, praecipue haec: initio sine causa quieti aut tristes, abjecti et torpentes, vigilant, facile trepidant, mutabiles, turpes, de minimis solliciti, avari, sed non multo post prodigi, non virtute animi sed morbi varietate. Malo increscente homines oderunt, fugiunt, mortem expetunt. Sunt colore foedo, ex atro viridique commixto, multi cibi capaces, nihilominus extenuati; alvus arida nonnunquam dejicit sicca, rotunda, atro quodam biliosoque circumfusa; urina pauca, acris, biliosa; ructus putridi, proinde melancholicos juxta et flatuosos medici veteres appellarunt; pulsus parvi, invalidi, crebri (79.) Curationem melancholiae fere ita instituit: — juveni aegro veris tempore vena in dextro cubito media caedenda est, ut a jecore sit opportunum effluvium licet sit ille gracilis; sed paulum sanguinis mittendum. At si sanguine refertus aeger, vena utique se-

---

(78) Causa diut. I, 3. Cf. cur. diut. I. 3.

(79) Caus. diut. I. 5.

canda est, et aliis diebus repetendo, quantum satis est sanguinis detrahendum. Si atra bilis urget per diem unum prius tenuiter nutrito aegro nigri veratri pondo drachmae duae ex aqua mulsa praebeantur, sive thymi attici coma, sive ex utroque duarum drachmarum pondo. Post purgationem lavetur, vinique paulum bibat; jam cucurbitulam jecori et ventriculo aut ejus ori admoveas et tergis quoque inter scapulas, deinde aeger rursus reficiendus. Viribus restitutis caput radendum, cui cucurbitula affigenda. Absynthii succum ab exiguo incipiens ad fabae usque magnitudinem assidue devorato; id ne bilis gignatur impedit, benefacit et aloe. — Sed haec quidem hactenus, ut Aretaei insignis curandi ratio prodatur. Describit decursum morbi si denuo invalescit, si inveterascit et quibus remediis et qua vivendi ratione impugnandus sit et quid faciendum si morbus insanabilis (80).

Maniae modi specie permulti, genere unus. Proni sunt qui natura iracundi, acris mentis (ὀξύθυμοι), negotiosi, faciles, hilares, jocosi; aetas cui sanguis et calor multus; cibi, potus venerisque immodico usui dediti. Vir furiosus fit, si consuetus sanguinis exitus aut bilis aut sudoris aliqua de causa repressus est. Longa sequitur et insignis variarum specierum maniae descriptio et historia morbi una, quae in angustum deduci vix possunt. Causa morbi in capite et hypochondriis. Praecipua vero sedes maniae et me-

(80) Cur. diut. l. 5. Capitis finis deest, nec minus c. 6 et 7, quorum sextum de curatione maniae conscriptum erat.

lancholiae viscera, phrenitidis caput et sensus. — Aliam maniae speciem nuntiat deorum afflatu provectam, si qui propria membra dilacerant, pia cogitatione, tanquam diis suis postulantibus id gratificantes (81).

Quum curatio phreniticorum nimis longa sit (82) neque facile in angustum deducenda, quoniam ne unam vocem deesse velimus, quum praeterea curatio insaniae ad finem nostrum non plane pertineat, initium hujus capitis tantum in orationem latinam versum transscribamus, ut indolem Aretaei nostri lectoribus facillime demonstremus. « Aegrotum cubare convenit in conclavi mediocris amplitudinis, aëris temperati, hieme tepidi, aestate frigidioris et humidioris. Vere autem et autumno secundum temporum naturas conjectura uti decet. Deinde quiescere jubendum est et aegrotos ipsos et omnes domesticos: acute namque audiunt phrenitici et strepitibus irritantur et ab iis in furorem aguntur. Parietes laeves sint, aequales, neque supereminentes, neque festucas aut aliquid exsertum habentes; neque picturis exornentur, pictura enim phreniticorum mentem turbat. Nam prae oculis falsa quaedam simulacra obversantur et quaedam non eminentia tanquam eminentia manibus contrectant: omnisque occasio citra causam manuum agitationem provocat. Cubilis longitudo et latitudo moderata sit: quo neque in ampliori volutari jactarique possit, neque a nimis angusto delabi etc.

---

(81) Caus. diut. I. 6.
(82) Cur. acut. I. 1.

§. 9.

GALENUS.

Ille qui Galenum de mentis perturbatione disserentem audire velit: primum in manus duo opuscula sumat, quorum titulus est: περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας τῶν ἐν τῇ ἑκάστου ψυχῇ ἰδίων πάθων (83) et περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας, τῶν ἐν τῇ ἑκάστου ψυχῇ ἁμαρτημάτων (84), et cogitatione gaudeat se his primos singulos de insania libros possidere. Mox vero jam verbum ἑκάστου, quod in titulis legitur, ei dubitationes injiciet, quum non quisque homo insaniae deditus sit et perlegens eos ipse se deceptum fuisse non libenter observabit. Libellorum enim argumentum, quis credet, plane ethicum est, neque ullam habet rationem ad vesaniam. Voce enim πάθος intelligens quamcunque rem amore vehementi aut odio prosequi (85), ab his affectibus hominem, quem errare solere contendit, liberandi argumentum primi libri est: Ita viam, qua bonus probus et modestus quisque evadat demonstrare conatur (86). Voce autem ἁμάρτημα falsam opinionem (tanquam affectum rationalis animae partis) putans de hac ejusque origine in altero libello agit, opinatus omnium peccatorum radicem falsam esse de vitae fine opinionem (87).— Similiter in libro περὶ μελαίνης χολῆς de atrae bilis

---

(83) T. 5. p. 1—57. ed. Kuehn. Lips. 8 1820 sq.
(84) Ib. p. 58—103.
(85) Cap. 3. p. 7.
(86) Cf. c. 7 p. 35.
(87) Cp. 4. p. 77.

natura et origine in jecore, nihil de melancholia disputat (88).

Quum igitur Galenus in proprio libello de insania non disserat, nec quisquam de nobis poscat, ut nimis multas de mentis perturbationibus sententias et observationes Galeni, quas in caetera volumina huc et illuc distribuit, omnes colligamus, optimum nobis videtur, ut principia sua e variis scriptis componamus. In libro ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεται (89) opinionem exposuit animi mores corporis mixtiones sequi. Cum Platone enim animae species judicans tres, earum sedes in cerebro, corde et jecinore definit (90); quum autem corporis temperamentum e quatuor elementis sit, calido, frigido, sicco et humido, animo quoque temperies ex iis est (91). Summam igitur prudentiam summa pariet siccitas, quantum vero humoris accesserit, tantum a perfecta demetur prudentia, quocirca omnes stultitiae participes sumus, humidi omnes (92). Cordis vero temperamentum animam constituit irascibilem, jecinoris concupiscibilem (93). Caeterum quod corporis vitia animae imperent eo evidenter conspicuum fit, quod ex medicamentorum potu aut quibusdam in corpore generatis pravis humoribus in delirium (παραφροσύνην) vel insaniam (μανίαν) vel

---

(88) T. 5. p. 105 - 148.
(89) T. IV. p. 767.
(90) c. 3. p. 772.
(91) Ib. p. 774.
(92) Ib. p. 781. sq.
(93) Ib. c. 4. p. 782.

oblivionem (ἐπιλησμοσύνην) vel amentiam ἄνοιαν) perveniant. — Quamquam igitur Galenus non distincte loquitur, insaniam tamen, si recte videmus, ex frigiditate deducit (94).

Morbos omnino secundum partes simplices ac similares corporis dividit in eos, qui nascuntur ex intemperie caloris immoderati, frigoris, siccitatis, et humidatis immodicae (95). De symptomatis igitur agens (96) duo eorum genera constituit, quoniam et actionum ipsarum duae sunt primae differentiae: alterae enim animae, alterae naturales (i. e. corporis et in ipso corporis habitu tanquam sponte sua perficiendae.) Actiones vero dividuntur in sensitrices (αἰσθητικαί), motrices (κινητικαί) et principes (ἡγεμονικαί). Sensitrices quinque habent functionum differentias, motrix unum tantum instrumentum et modum, princeps in imaginatricem (τὸ διανοητικόν) et recordatricem (τὸ μνημονευτικόν) distinguitur. Enumerat igitur primum laesiones functionum sentiendi (insensibilitatem, coecitatem etc.); dein functionum motricum (immobilitatem, motum tremulum, convulsivum etc); denique principum functionum àc primum imaginatricis. Est autem hujus laesio aut velut paralysis quaedam, quae carus et catalepsis nominatur, aut velut pravus quidam erransque motus, qui delirium vocatur (παραφροσύνη), aut veluti deficiens et imbecillus motus ut in comate et lethargo. Ratiocinatricis

(94) Ib. c. 5. p. 786. 87.

(95) Vid. de morb. differ. T. VI, p. 836—880: de morb. caus. T. VII, p. 1—41.

(96) De Sympt. differ. lib. Cap. 3 sq. T. VII, p. 55 sq.

denique functionis laesio aut velut paralysis est, amentia (ἄνοια), aut velut deficiens motus, stultitia (μωρία) et fatuitas (μώρωσις), aut velut aberrans, delirium (παραφροσύνη); delirium enim plerisque et in imaginatione prava et in inepta ratiocinatione consistit, interdum in earum altera duntaxat. (Ad haec probanda varias morbi historias adjicit). Quo modo memoratrix laedatur docet e Thucydide, qui nonnullos e pestilentia servatos eatenus omnium quae praecessissent oblitos prodit, ut non solum suos familiares, sed etiam se ipsos ignorarent (97). Secundum eandem dispartitionem de causis symptomatum agit (98), dum vero de affectionibus sensuum (99) et motus (100) plura verba facit, pauca tantum de labe principum actionum, quae nobis hic sunt summi momenti, adjicit (101). Tria enim sunt symptomatum prima genera: actionis abolitio (ἀπώλεια τῆς ἐνεργείας), laesio (βλάβη) et in alteram speciem mutatio (εἰς ἑτέραν ἰδέας ἐκτροπήν). Abolitio in stultitia et oblivione consistit: visum est morbis in abscessum aliquem abeuntibus stultitiam et oblivionem inductam esse et extremo senio. Ex quo lucet eas ex refrigeratione creari; quin etiam medicamenta, quae ejusmodi sym-

---

(97) Thucyd. II, 48. cf. Gal. IV, p. 788.

(98) De caus. sympt. T. VII. p. 85. sq.

(99) De affect. ocul. Cap. 2. p. 86; aurium c. 3. p. 102, linguae c. 4. p. 104, tactus c. 5. p. 108. De dolore et delectatione c. 6. p. 115 et 7. p. 127. De somno c. 8. p. 139.

(100) Lib. II. cap. 1—6. p. 147—200. Idem tractat in libro singulo de tremore etc. T. VII. pag. 584—642.

(101) Lib. II. cap. 7. p. 200—204.

ptomata inducunt, sunt frigida facultatibus. — Deliria vero omnia, quae depravati sunt motus facultatis principis, in vitiosis humoribus consistunt vel in eorum intemperie, qui sunt in cerebro. Eorum genera vero sunt phrenitis, quae cum febre est, mania, quae sine febre et interdum mordaces et calidos humores ut bilem flavam sequitur, saepe etiam e calidiore cerebri intemperie ortum ducit; demum melancholia, quae sola frigidiorem humorem pro causa habet. Sunt enim omnes melancholici praeter rationem moesti; timent nonnulli tum mortem, tum alia, quae minime sunt timenda; alii mortem vehementer expetunt. Caeterum quod ab atra bile rationalis animae arcem occupante timor, moerorque ac mortis exspectatio accidant, nihil mirum, videmus enim etiam eorum, quae extra corpus sunt, nihil nos peraeque terrere ac tenebras. Ergo quum veluti quaedam tenebrae rationalis animae parti sint circumfusae, necesse est hominem semper timere, ut qui semper una cum corpore suo timoris causam circumferat.

§. 10.

CAELIUS AURELIANUS.

Inter seriores medicos, quorum scripta ad nos pervenerunt, majorem auctoritatem possidet ille Afer, Caelius Aurelianus, non quidem propter eximiam suam sapientiam, sed quia unicus est, quem e doctrinae methodicae asseclis temporis violentia non delevit, ita ut illius ingeniosi Bithyni, Asclepiadis, quem Cicero sibi amicum praedicat, et The-

misonis et aliorum disciplinam ex eo optime cognosci liceat. Itaque ne abhorreamus a diligente lectione librorum de morbis acutis et diuturnis (sive ut ille in textu saepius dicit, de celeribus et tardis), etsi oratio facile nobis taedio sit, et nimis crebrae nugae de ea nobis dissuadeant. Plane dirimens phrènitidem a mania et melancholia, de illa per totum primum librum de morbis acutis disserit, de his in morborum chronicorum capite quinto et sexto primi libri (102).

Postquam Platonis, Stoicorum (103) et Empedoclis de furore opiniones et varios modos vocem „μανία" derivandi exposuit, ita eum definit: «Est alienatio tardans sine febribus, quo a phreniticis discernitur, generatur frequentius in juvenibus ac mediis aetatibus, difficile in senibus atque difficilius in pueris vel mulieribus, nunc repente invadens, nunc paulatim increscens, nunc ex occultis, nunc ex manifestis causis, ut est ustio, perfrictio, indigestio, vinolentia frequens atque immodica: item vigiliae juges et amor vel iracundia aut moestitudo vel timor vel superstitio nimia. Item concussio sive percussio capitis et intentio nimia sensuum et intellectus, ob cupiditatem disciplinarum vel quaestum pecunialem aut gloriam. Item pota medicamina et magis ea, quae amorem facere videntur: item detractio hae-

---

(102) P. 325 et 339 ed. Amman. Amstelod. 1755. 4.

(103) Est quidem ea: „duplicem furorem dixerant. alium insipientiae genus, quo omnem imprudentem insanire probant: alium ex alienatione mentis et corporis compassione."

morrhoidarum veterum, sive varicum, aut abstinentia in feminis solitae purgationis.» — «Est autem insania sive furor nunc jugis, nunc temporis interjecti requie levigatus, efficiens ut aegri nunc non meminerint sui laboris, nunc oblivionem sciant suam et nunc omnium sensuum alienatione vexentur falsitate possessi, nec aliarum specierum errore fallantur. Sic denique furens alius se passerem existimavit, alius gallum gallinaceum, alius fictile, alius laterem, alius deum etc. Horum plurimis accessionis tempore oculi sanguinolenti fiunt atque attenti, accidunt etiam vigiliae juges, venarum extensio, genarum rubor, corporis durities atque aliena fortitudo. Patitur autem omnis nervositas magis tamen caput.» — E verbis sequentibus haec adjiciamus: «peccant denique etiam ii, qui animae passionem principaliter, dehinc corporis esse concipiunt, cum neque quisquam philosophorum ejus tradiderit curationem et antequam mente falluntur, accidentia substantia corporis habere videatur.» Curationem vero similem epilepticis instituit: «locus lucidus, calidus, nullus turbor, nulla pictura, in solo, plerique enim furore correpti sese praecipites dederunt. Stramina mollia, potus olei calidi, admixto aliquando Foenigraeci liquore, potus ex aqua calida; multorum ingressus prohibendus. Varii modi eos coercendi. Cibi abstinentia usque ad primum Diatriton, Phlebotomia, permittentibus viribus, si passio coegerit intra Diatritum, tum perunctio: ora fovenda, dandus cibus levis, parvus, digestibilis; tum praecordia cataplasmatibus relaxanda. Dehinc cum status passionis appa-

ruerit, detonso capite atque raso, cucurbitam infigimus, adjuncta scarificatione, primo praecordiis tunc inter scapulas, dehinc etiam occipitio ac vertici et temporibus capitis; dehinc spongiis vaporandum. Si vigiliae fuerint consecutae adhibenda gestatio, primo ex lectulo pendenti etc.» Sequuntur varia praecepta: quo modo, si morbus declinaverat, gradatim ad seria et rationalia reducatur. Si vero permanserit, praesertim adhibendus vomitus ex albo Helleboro: item aurium cavernis injicere debemus aquam nitro aspersam, vel mulsum cum semine urticae, vel sinapi liquido etc. Haec est curandi ratio secundum methodum (i. e. scholam methodicam), quam magis in re diaetetica et remediis localibus quam in medicamentorum potu existere facile observamus. Affert Caelius varias ex aliorum opinione curandi vias, quas partim apud Celsum et Aretaeum jam legimus, partim commemoratu hic vix dignas videmus.

De melancholia exponit noster in sequente capite (104). Causae: indigestio, jugis vomitus, post cibum medicamina pota, acres cibi, moestitudo, timor etc. Describit eam ut caeteri, corporis vero conditionem diligentius ita definit: adest inflatio praecordiorum, articulorum frigus, levis sudor atque stomachi mordicatio: item capitis gravedo, color viridis cum nigrore aut sublividus, corporis tenuitas, virium debilitas, ructationes odoris taetri, intestinorum tormenta, vomitus nunc inanis, nunc fello-

(104) Morb. chron. I, 6. p. 339.

sus, vel ferrugineus, aut niger etc. Differt autem, siquidem in ista principaliter stomachus patitur, in furiosis vero caput. Et est communiter stricturae (105) passio magna. Curatio eadem ac furiosorum. Jubentnr localia adjutoria atque mitigativa; Aloe et Absynthium (ab Aretaeo praecepta) excluduntur, quippe cum sit possibile ex consuetis perficere sanitatem. Phrenitidi Caelius totum primum morborum acutorum librum p. 1—71 consecrat. Et in prooemio quidem varias oppugnat definitiones priorum (106) et suam proponit p. 8., §. 21: Phrenitim esse alienationem mentis celerem, cum febri acuta, atque manuum vano errore, ut aliquid suis digitis attrectare videantur (quod graeci καρφολογίαν nominant) ac parvo pulsu et denso. — In cap. I et II de signis disserit Phrenitidis: febris acuta, pulsus densior, vultus subinflatus, sanguinis per nares destillatio, vigiliae juges, insania turbulenta etc. Aliquando oculorum rubor cum levi lacrimatione, circumjectio manuum sine ullo capitis dolore, articulorum frigus sine tremore, urinae abundantia flavae, aquatae, tenuis et paulatim exclusae. — In cap. III, IV, V, VI diagnosis phreniticorum. Phreniticis atque furiosis caput magis, melancholicis stomachus patitur,

---

(105) Notum est secundum methodicae scholae systema morbos aut in strictura (atomorum ex quibus corpus est compositum) aut in relaxatione consistere.

(106) Ex iis huc apponamus Asclepiadis definitionem: „Est corpusculorum (τῶν ὄγκων) statio sive obtrusio in cerebri membranis frequenter sine sensu, cum alienatione et febribus.“

in phreniticis parvus atque creber pulsus necessario, in furiosis vero major. In cap. VII differentiae. In capite VIII sedes morbi. In cap. IX curatio phreniticorum; accuratissima diaeta, nullus medicamentorum potus, localium usus frequentissimus. In cap. X de phlebotomia. In cap. XI de cucurbita. — In reliqua libri parte cap. XII—XVII certant in Dioclis, Erasistrati, Asclepiadis, Themisonis, Heracliti curandi modos. — Haud possumus quin hic observemus, non difficillimum esse e seriorum relatione priorum, ut Erasistrati, Asclepiadis etc. sententias de insania colligere, quod quidem officium libenter praestitissemus, nisi opusculi limites prohibuissent.

§. 11.

Inter Maximi Tyrii dissertationes XIIIma ita inscribitur (107): πότερα χαλεπώτερα νοσήματα τὰ τοῦ σώματος ἢ τὰ τῆς ψυχῆς. At haec nil continet nisi dijudicationem animi morbos majoris esse momenti quam corporis, quippe quod ille hominis sit dux; animi vero morbos mentis tantum affectus intelligit (p. 147: νοσεῖ ψυχὴ τὴν ἡδονῆς νόσον, τήκεται καὶ μαραίνεται).

§. 12.

Post Galenum quatuor relicti sunt rei medicae scriptores graeci, qui tamen ingenio indigentes majorum opera in angustum deduxerunt et collegerunt, quae iis memoratu digna visa sunt. Sed ne hoc

---

(107) Ed. Davisii Lond. 1740. 4. p. 139

quidem meritum sibi conciliaverunt, quod collectoris munere cum judicio quodam ordinemque certum persequentes fungerentur: verum profecto et Oribasii et Aetii, et Alexandri Tralliani et Pauli Aeginetae scripta variis pannis se ornabant, quae nulla inter se gaudent conjunctione et convenientia. Praecipue vero illa observanda est differentia inter rem medicam priorum et seriorum, quod cum illi multo majorem navarent rei diaetaticae operam, hi, quod cum recentioribus magis convenit, maxima ex parte eam negligerent et medicamenta composita in usum ducerent. Quibus praemissis ad rem ipsam aggrediamur.

§. 13.

ORIBASIUS.

Quod si Oribasii, Juliani imperatoris familiaris et medici, tota quam concinnavit e priorum scriptis bibliotheca medica nobis relicta esset, atque ita non XVII sed LXXII libros in manibus haberemus, plura etiam legeremus verba de insania, quam nunc in illius bibliothecae synopsi; curandi enim tantum modos in ea nobiscum communicat de melancholia et insania (108). De illa haec eligamus: initio curationis venaesectio instituenda est, si sanguis melancholicus redundat in toto corpore, si vero cerebrum solum occupat non ita. Levetur aeger alvi subductionibus, vomitibus, concoctione et ructu. Si cerebrum ab atra bile plane occupatum est, continuis

(108) Orib. bibl. synop. VIII, 7 et 8.

balneis, diaeta boni succi et humida sine ullo alio praesidio utendum est. Humore autem illo ob temporis diuturnitatem ad evacuandum difficili Epithymo aut Aloe purgetur, purgatis Absynthium dandum. De insania ex Philumeno haec sunt quae profert: «Insaniae eadem est quae melancholiae curatio: praecipue tamen insanientes juvat Hippomarathri radix semenque in aqua potum et Bryoniae radicis denarius ex aqua quotidie sumtus.»

§. 14.

AETIUS AMIDENUS.

Aetius, medio sexto saeculo medicus praeclarus, in collectione, cui titulum imposuit Tetrabiblion secundum dispartitionem jam dudum usitatam hoc modo agit: A) De Phrenitide ex Possidonio (109). Phrenitis est inflammatio membranarum cerebri cum febri acuta, delirium et rationis errorem afferens. Phrenitidis tres peculiarissimae differentiae eae sunt, ut aut imaginatio sola laesa sit, servata ratione et memoria, aut ratio tantum injuria afficiatur, salva imaginatione et memoria, aut sola memoria servetur, imaginatione et ratione simul corruptis. Priori enim cerebri parte laesa, imaginatio tantum afficitur, at medio ventre violato vis rationalis evertitur, sicuti in occipite postremo cerebro affecto memoria

---

(109) VI, 2 p. 204. vers. lat. per Jo. Bapt. Montanum. Ven. 1534. Fol. Possidonius Valentis imperatoris tempore inter Eclecticos numeratur v. Sprengel Gesch. der Arzneik. Absch V. §. 67. Th. II, p. 122. ed pr.

deperditur. Praecipiuntur: venaesectio, clysmatis e furfurum ptisanaeve cremore aphronitri aut mellis addita portiuncula venter abluatur, caput rosaceo tepidiori irrigetur; caput faciemque assidue oleo foveas, in quo papaveris capita sunt decocta: perseverante morbo dandum est diacodion, soporiferum medicamentum, quantum cochleare est etc.

B) De mania ex Archigene (110) et Possidonio: mania (111) sine febre efficitur plurimo sanguine incorrupto ad cerebrum fluente, interdum temperato et per multitudinem tantum laedente, interdum bilioso. A solo igitur sanguine maniam evenientem risus comitatur assiduus, incolumis memoria est, sed imaginandi vis ac rationalis violata. Ubi vero bilis flava sanguini commiscetur acrimoniam reddens, iracundi et audaces evadunt. At si flava bilis etiam superassetur crassescatque et veluti viscum substantiae cerebri et membranis impingatur, furorem perficit. Venaesectio instituenda et repetenda, caput fovendum oleo, diacodion cum succo ptisanae aut alicae, ut somnus jucundus eliciatur, dandum, alvus mollis aptis alimentis et clysteribus conservanda est. Praeterea multa enumerantur medicamina.

C) De Melancholia e Galeno, Ruffo et Possidonio (112).

Plerumque hypochondria primo male affecta, ducunt in morbi consensum cerebrum, quod nervi

---

(110) Eximius pneumaticae scholae assecla Trajani tempore cf. Suid. et Eudoc. v. Ἀρχιγ.

(111) Ib. 8. p. 208.

(112) Ib. 9. p. 209.

cum iis in nexu est, et inde delirium efficitur, aut bili atra ipsa cerebrum occupante, aut elevato vapore melancholico, sed et cor propinquitate in eundem trahitur consensum et septum transversum et ventriculus cum medulla spinali. Curatio melancholiae e variis scriptoribus describitur, e quibus haec non plane negligenda nobis videntur. Ruffus enim, quem Galenus jam de melancholia scribentem admodum laudat, summa praesidia in medicaminibus ventrem resolventibus requisivit, quocirca primo studendum esse censebat, ut recta concoctio fiat, dein evacuandum epithymo et Aloe, nec non acria hypochondriis applicanda et medicamenta picata praebenda. Quos convulsiones comitantur ii castoreum bibant et eodem corpus illinant cum oleo syconio etc.

ALEXANDER TRALLIANUS.

§. 15.

Alexander Trallianus non multo post Aëtium et artem medicam exercuit et de ea scripsit libros XII, in quibus de phrenitide et melancholia tantum disseruit. Quam ob causam maniam omiserit, nobis manifestum est ex sententia sua, insaniam nihil aliud esse, quam majorem melancholiae gradum (113). De Phrenitide fere ita exponit (114). Exquisita Phrenitis a flava bile nascitur cum ipsa in cerebrum aut ejus membranas distributa inflam-

(113) I, 16. p. 103 ed. graecolat. Guintheri Andernaci. Basil. 1556. 8.

(114) I, 13 p. 43.

mationem excitaverit. Ejus species est, siquidem ex pallida bile constituitur, quae mitior existit. Secundum multitudinem bilis flavae morbi vehementia major minorve efficitur. Signa futurae phrenitidis bene describuntur. A delirantibus phrenitici febre assidua discernuntur, oculis cruentis, sanguine e naribus profluente et capite calido; ab insanientibus vero, quod febre laborent. Inveteratae phrenitidis signa sunt, quod aegri non tantopere perturbantur, sed placidi sunt et manus solummodo sine ratione jactitant, febre hectica correpti. Venaesectio instituenda, caput aceto fovendum et oxyrrhodino superfundendum; in vigilias diacodion, quod a papaveris capitibus, offerendum, diaeta accurata, frictio et post eam inferiores partes fovendae, cucurbitulae, epithemata, ptisana vel avenae cremor, bibere crebrius et paulatim aquam tepidam conducit, lavare et perungere convenit; vinum dare audendum est, si permultis vigiliis anguntur. — Melancholiae (115) causa non unus est humor, non una pars, sed modo cerebrum solum, modo reliquum totum corpus, modo venter, modo praecordia sola affecta sunt. Sanguinis copia, praesertim haemorrhoidum et mensium profluvio retento, efficitur. Melancholia intervallis excellit. E remediis in melancholiam tam saepe a nobis enumeratis id ab Alexandro Tralliano praeceptum annotemus, quod melancholicis inveteratis lapidis armeniaci, quem Veratro albo praefert, tres aut quatuor scrupuli pro virium ratione dentur.

(115) I, 16 p. 99.

PAULUS AEGINETA.

In Pauli Aeginetae libris septem (116) duo sunt capita, quae ad nostram rem pertinent (117), in quibus tamen nihil invenitur, quod non ex Aëtio et Alexandro desumtum sit.

PERORATIO.

Collectis jam sententiis de insania veterum praecipuis multa sunt, quae observari annotarique liceat, ex quibus tamen pauca tantum in universum lectori benevolo hic ante oculos ducamus. Namque mirum nobis videtur, quod per omnem vetustatem viri non solum medici sed etiam philosophi, uno excepto Platone, animi morborum causas corporis habitum et affectiones culpaverint, neque ullus animi affectus ipsos; iste vero Plato divinus nec corpus quidem solum, nec animum sed utrumque alienatum in connubio eorum arctissimo. Imo vestigia aliqua opinionis, animi pathemata animi morbis ansam praebere, apud seriorem solum scriptorem, Caelium Aurelianum inveniuntur, qui post multas, quae insaniam progignant, corporis affectiones amorem quoque, timorem, moerorem, iracundiam et superstitionem nimiam enumerat. Attamen idem eos ipse vituperat, qui insaniam animi principaliter vitium pu-

(116) Ed. graec. Basil. 1538. fol. Paulus septimo vixit saeculo.

(117) Περὶ μελαγχολίας καὶ μανίας καὶ ἐνθεαστικῶν III 14 p. 30. et θεραπεία μανίας c. 14.

tent, dein corporis. Omnes autem reliqui et Hippocrates et Aristoteles, et Aretaeus et Stoici, et Asclepiades et Epicurei, et Celsus et Cicero, et Galenus et Plinius, et post Caelium Oribasius, Aëtius, Alexander et Paulus nobis certi ac firmi persuadent: animi labem e corporis proficisci habitu. Quid igitur? Talem consensum quisque nobiscum censebit non fortuitum, sed e rei natura ipsa productum. Quem igitur explicare conemur hoc modo. Jam in introductione nostra phantasiam apud nationes antiquas summum fecisse animi elementum observavimus, neque affectus libidinesque idcirco ad illum gradum supremum furoris fanatici adscendere solitos esse. Quum enim genus humanum paulatim tantum omnes facultates et qualitates (ut Marci Tullii verbo utar,) suas expedire, explicare, excolere deberet, animi motuum pugna et concitatio nondum ea acerrima esse debuit, quam postea mentis ardor medio aevo conflare solebat. Nunquam populos antiquos religio tantopere excitavit inflammavitque; nunquam poenitentia animos tantopere perturbavit, quoniam scelera ob legum ethicarum severitatem multo minorem non tam strenui judicabant, multaque facinora, quae nos sceleratissima existimamus, talia nequaquam habebant (118); amoreque ipso in patriam non tam

---

(118) „Edle Erscheinungen sind untergegangen und werden niemals wieder so schön hervorkommen; aber die Grundsätze der Menschheit haben sich veredelt, wenn auch erhabene Geister des Alterthums eben so rein waren, als die erhabensten der neuern Zeit; und hierin liegt der

singulariter ardebant, quam nos solemus, (nonne Leonidas et Spartiatae ludos faciebant pridie interitus?), amore demum in mulieres, quod supra jam ediximus, ita flagrabant, ut raro ob infelicem ejus exitum quemquam mortem sibi conscivisse, neminem desipuisse narrent.

Id quod ex his concludere audeo est quidem: quum in antiquis animi perturbationum impetus non tantopere acer, quantopere in medii aevi et recentioribus hominibus esset: insania caeterique animi morbi non ex animi affectionibus, sed solummodo e corporis conditione oriri potuerunt, quocirca scriptores graeci et romani in tractanda insania de animi affectionibus tacent; antiquitate tantum paulatim ad interitum versa ejusque ingenio ad medium aevum jam vergente, quum jam omnes societatis veteris rationes perversae ac perturbatae, luxuries, divitiae et penuria vitae licentia, flagitia summa essent; sub regno Caesarum animi quoque affectiones, quamvis raro, causae fiebant insaniae atque agnoscebantur.

Itaque cuique auctori medico, quae corporis conditio efficere insaniam, indicandum erat. Cui vero quaestioni antequam responderent, insaniae genera speciesque constituebant. A primordiis fere inde auctores eo consentiunt, ut insaniam dirimant in phrenitim, maniam et melancholiam. Phrenitis autem cum febre continua erat, mania sine febre vel ut

---

Fortschritt der Menschheit." Boeckh, Atheniens. Staatshaushalt. V. 1, p. 208.

nonnulli produnt scriptores, interdum cum febre accessoria non continua et maniam non circumscribente. Melancholia vero a nonnullis tanquam species diversa a bile atra sola producta definitur, ab aliis tanquam initium et pars maniae. Dum vero apud paucos tantum opinio, melancholiam non semper ex atra bile oriri, comprobata erat, phrenitim et maniam modo bile flava, modo pituita, modo sanguine gigni credebant, donec sententia fiebat vulgaris, phrenitim inflammationem esse membranarum cerebri vel cerebri ipsius. Galenus primus et unicus erat, qui fatuitatem stultitiamque morbis animi adjecit et omnino, ut vidimus, animi morbos secundum ejus facultates i. e. secundum psychologiae principia in ordinem duxit.

Quum igitur persuasum nobis habeamus, animi morbos ex animi labe mere provocatos medio aevo primum exstitisse illaque saecula ut in tam multis variisque rationibus, in re psychica maxime opposita fuisse antiquitatis temporibus; quid ex his consequi nobis videatur, proponamus hoc modo. Quum omnia, quae in temporum decursu apparent, certumque temporis spatium complectuntur, veritatis species sint, quae suo tempore plane verae, respectu totius generis humani ex una tantum parte verae videntur: certum est et scholam psychicam et somaticam veritatem usurpasse suo tempore, hanc, quum animi motus minores lenioresque, illam, quum acerrimi essent, utramque vero una tantum ex parte veram esse; restat igitur, ut notiones utriusque conjungantur.

Haec igitur sententia nostra via probatur per historiam, cujus argumenta ratiocinationum fundamentum optime jaciunt et fortasse semper jacere debent.

VITAE CURRICULUM.

Ego, Nathan Lippmann, Posnaniae natus die XIV. M. Aprilis A. MDCCCIX, patre optimo Petro, matre carissima Minna, e gente Goldschmidt, mihi adhuc divina gratia superstitibus gaudeo. Fidei veteri sum addictus.

Primis literarum rudimentis schola publica duce avunculo meo Caro imbutus Gymnasium Posnaniense, cui t. t. Cel. praefuit Kaulfufs adii. A directoribus summe colendis Fr. Jacob et Stoc anno MDCCCXXVIII maturitatis testimonio instructus, die XV. mens. Octobris ab Ill. Bethmann-Hollweg t. t. rectore magnifico in universitate Friderica Guilelma in civium acade-

micorum numerum receptus et a Beat. Rudolphi, t. t. decano facultatis medicae medicorum ordini adscriptus, inde hisce virorum illustrissimorum et celeberrimorum praelectionibus et exercitationibus clinicis interfui:

Ill. Erman de physice et meteorologia. Ill. Mitscherlich de chemia. Cel. Schubarth de chemia. Cel. Michelet de logice. Ill. Wilken de historia medii aevi. Ill. Ritter de geographia. Cel. Hotho de Goethe. Beat. Rudolphi de medicinae methodologia et encyclopaedia et de physiologia. Ill. Schlemm de Anatomia, uterque dux mihi fuit in cadaveribus rite dissecandis. Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali. Cel. Hecker de pathologia speciali. Ill. Link de botanice, historia naturali, pharmacologia et de toxicologia. Ill. Osann de materia medica. Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de syphiliticis vesanorumque morbis. Cel. Phoebus de anatomia pathologica. Institutionibus denique clinicis Perill. Hufeland, Ill. Osann, Cel. Busse, Cel. Wolff,

Ill. Rust, Cel. Truestedt, Cel. Barez interfui. Quibus viris omnibus maximas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso rite peractis spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Agentium physicorum longe alius effectus in res organicas atque in inorganicas.

II.

Notio febris intermittentis satis distincta non exstat.

III.

Quae inter opium et systema cerebrale intercedit ratio medicatrix, eadem inter emetica et systema gangliorum.

IV.

Illud effatum: qui bene distinguit, bene medebitur, non omnino verum.

V.

In curandis chronicis morbis victus potius quam medicamentorum ratio habenda est.